

B. g. y.

N^o 66. 47^a

10. 9

RESPON-
SIO M. F. ILLYRICI AD
maledicta D. Ga. Maioris, Maxi-
mi, Christi & Belial seu Antichristi
conciliatoris, & nouorum In-
terim propugnatoris.

Esaia. 5.

*Vae dicentibus malum bonum, & bonum malum,
ponentibus tenebras in lucem, & lucem in tenebras,
amarum dulce, & dulce amarum. Vae ijs, qui sapientes
sunt in oculis suis, & suo iudicio intelligentes,
qui iustificant impium propter munus,
& iustitiam iustorum auferunt ab eis.*

1. Timo. 6.

*Radix omnium malorum est auaritia, Ad-
de, & ὀλιγοπισία seu diffidentia.*

Problema Adiaphoꝝ

ristis Propositum.

QVERITVR, CVR, CVM HOC tempore & omnes ferme Ecclesie, & in primis pij constantesq; doctores duriter ac multipliciter ab Antichristo, eiusq; satellitibus affligantur, ut (taceo iam Electorem, taceo & hanc Ecclesiam multasq; alias) testatur crux Torgensiu, Cygnensis, Misnensis, Kemnicensis, & multoru alioru in Misnia & Marchia pastorum, qui partim in exiliu pulsi sunt, partim in magno periculo fuerunt, & adhuc sunt, Queritur, inquam, cur soli Adiaphoristae in hoc communi luctu Ecclesie non tantu securitate, suis rebus, favore principu, auctis stipendijs, & insuper amplis potentum donis placide suauiterq; fruantur? Quidam dicunt propterea id fieri, quia ipsi, ut est initio Lipsici Interim, suadeant, ut C. M. petenti acceptionem Interim obediatur, nolintq; amplius habere dissidia cum Antichristo eiusq; coetu, sed dicunt quanto propius ad eum accedamus, tanto esse melius, eiq; Ecclesiam Christi subiiciunt. Quod illis afflictis pastoribus improbatur.

Verum isti qui problema hoc sic soluunt sunt testimonio Adiaphoristaru calumniatores & ingrati. Quare eis non est credendum. Restat ergo, ut ipsorum Adiaphoristarum solutio audiatur.

Nam grauisimam aliquam causam esse tanti istius discriminis dubium non est.

NOTVM EST OMNIBVS
communi sensu præditis, cuius Ec-
clesiæ odio ac cruce potissimum
effectum a Deo sit, ne papatus, uti cœpe-
rat, per uaria Interim religionem Christi
penitus hoc quadriennio opprimeret.
Notum item est, quam bonam gratiam
nobis falsi fratres retulerint. Inter quos
Adiaphoristæ nequaquam postremum
locum habere uoluerunt. Sicut enim ini-
tio cœperunt esse persecutores, promo-
uendo domi & foris noua Interim, dam-
nandoq; eos pios, qui eis restiterunt, atq;
ita Tyrannos armando contra Christi
confessores, alijsq; modis: Sic & hoc no-
stræ crucis tempore nos scriptis, cum res-
pondere non quiuimus, damnando,
atq; ita Tyrannos contra nos animando
persequi non desuerunt.

Pulchre illi quidem norunt decla-
mitare de concordia & unitate, sed inte-
rea fugiendæ crucis gratia non uerentur
desertis alijs fratribus in cruce, sese cum
Antichristo conformare, eius abominati-
onibus per sua Interim uiam sternere, &
omnino, ut dictum est, pios persequi. In-
ter alios uero uel præcipue declamitauit
in nos G. Maior, ac in me nominatim, cui
A 2 me pau-

me pauca respondere iam oportet.

In quo primum obseruandum est, quod Adiaphoristæ, tanti uiri, conscij nimirum sibi bonæ causæ, biennium integrum cum omnium summa admiratione tacuerunt, nec ante ausi fuerunt sua Interim defendere, quam uiderunt nos clausos persecutorum armis respondere non posse. Vociferabuntur haud dubie & deinceps strenue, si uiderint neminem esse, qui respondeat.

Scribit in quadam Germanica præfatione, nos, ac in primis, me, ex incitia, & nescio quibus diabolicis affectibus agitatum ipsorum Adiaphoris repugnare. In quo nō possum satis admirari leuitatē isti us arundinis. Cōtuli enim nō semel cū eo de istis Pseudadiaphoris anno 48. Semp̄ ea uehementissime improbavit, idq; adeo, ut Magistrū Paulum Eberum perpulerit, ut contra ea scriberet, meq; suo sermone in hac sententia multum confirmauerit.

Semel, cum ad eum uenissem, ostendebat mihi fasciculum exemplarium cuiusdam mei libelli, contra illas mutationes tūc recens æditi, & aiebat se ea in Cellenfibus comitijs distributurum, Dabam ei & latine idem scriptum aliquanto prolixius,

lixius, sed nō æditum, ut in comicijs Theologis ostenderet. Accipiebat libenter. Dicebam aliquando, me & principi Georgio Anhaltino scripturum de ea materia, Respondebat, fac quæso, plenus est reformationum. Quam sæpe (inquirebat) fuit mihi cōtentio tantum de choralī veste cum eo. Similia plurima dixit tum ad me, tum & ad alios, quibus significavit se uehementer damnare Adiaphorismum.

Si ergo tunc uidit me errantem tantus Doctor, cur non edocuit? Sin uero & ipse sic ex scriptura & præceptoribus didicerat, cur accedente periculo & premio mutatus est? Et cur me tantopere de ea sententia damnat, in qua me ipsemet cōfirmavit? Dicit in Epistola ad regem Angliæ, & in alijs scriptis, eos, qui Adiaphoris resistunt, spiritu Diaboli agitari: Cum ipse idem nobiscum ante biennium senserit, dicat, quo spiritu tunc agitatus sit, aut iam agatur. Idem enim certe spiritus contraria non sentit.

Scribit in eadem epistola se hortari omnes pios, ut se a Romana Ecclesia, quā tū possunt, segregent: At in suo Grūndtlich bericht (Nam eius esse non dubito, aut si id pernegare uelit, at certe eius assen-

su æditum est) contra, ait quanto propius
ad papistas accedimus, tanto melius. Hæc
etsi sunt propalam contradictoria, tamen
non licet ue. suspicari alterutram propo-
sitionem esse impiam, ne simus ingrati &
calumniatores.

Ibidem dicit, stamus in eodem uesti-
gio iam multis annis, errores oppugna-
mus, &c. At in *Gründtlich bericht* gloria-
tur Theologorum bedencfen contra Inte-
rim prodijisse non ipsorum culpa. O acres,
oppugnatores. Et cum quidem in ea Epi-
stola suã confessionem instituat, nusquã
tamen agnoscit Papam esse Antichristũ.
Nam hæc hypothesis præsentium contro-
uersiarum prorsus istis tantis uiris metu
memoria excidit. Quin & omnes Eccle-
sias Christi illi supremo Episcopo subijci-
unt. Ibidem ait, Non appeto opes. Quis
dubitat de eo? t. m.

In Germanica præfatione sub prin-
cipium obsidionis nostræ ædita. Scribit,
nihil attinere ad Ecclesiã, etiam si sit bellũ
inter politicos gubernatores, quia eius po-
liteuma sit in cœlo. Quo nimirum uo-
luit, tum hanc Ecclesiam premere, quasi
eius crux sit politicum quoddam bellũ, &
non petatur eo religio, ideoq; neminem
nostra

nostra calamitate affici debere. Voluit
etiam ipsos persecutores excusare & ani-
mare, tanquam sit externum quoddam
certamen, ueluti si cum Turcis aut Tarta-
ris bellarent. Denique & se, aliosque mutos
canes, & cæcos speculatores, excusare uo-
luit, cur non accusent suos auditores de
isto horribili peccato persecutionis, Sed
potius absoluendo, corpusque Domini eis
porrigendo, eos in furore suo confirmant.

Verum ante quinquennium aliter
scripsit in præfatione sui psalterij, in præ-
fatione Bohemicæ historiæ, in diuina
Cæsaris proscriptione & denique in proli-
xo libro, quem contra suum M. ædere
hic uoluit: Sed cum nomen suum appo-
nere nollet, non inuenit uicarium, qui pro
se inuidiam ferre uellet. Taceo infinita
alia eiusdem contra eundem acerbissima
dicta.

Verum quia tunc habuerunt princi-
pem, qui aiebat illud bellum esse persecu-
tionem, & quia ipsi quoque erant in pericu-
lo, ideo & ipsi aiebant, iam contra, cum suo
præclaro Adiaphorismo placarunt Mere-
tricem & Bestiam, habentque Dominum,
qui negat esse persecutionem, ideo & ipsi
negant, iam scribunt Auricularem confes-
sionem,

sionem, quia Dominus id uult, Ante biennium, cum urgeretur Interim, aliter se gerebant, Paulo post, si quis Tyrannus eos urgebit, iterum Protheum agent. Sic enim illi norunt seruire tempori.

Debuissent autem in hac huius Ecclesiae persecutione Adiaphoristae duplici de causa suos auditores reprehendere, & ab isto tam nefario facinore, quantum in eis esset, retrahere. Primum, quia officium doctorum est monere, increpare, & etiam durioribus censuris coercere suos auditores, praesertim in aliquo insigni peccato pertinaciter perseuerantes. Secundo, quia hoc homicidio Diaboli religio Christiana petitur. Quam ob causam ipsi quoque uel mortis periculo ubicunque potuissent, adiumento esse Ecclesiae huic debebant.

Observandum autem est, quod cum Maior ea praefatione Merspurgensem Ecclesiam, cuius pastor fuit, confirmare uelit, sciatque ibi iam grassari seductorem Sidonium, non indicat nominatim lupum in eo ouili grassantem, non monet illas suas oues, ut sibi ab eo caueant, sed me petit, qui hortor omnes ad constantiam in retinenda agnita, acceptaque religione, & eius con-

eius confessione. Nimirum iudicio Adia-
phoristarum compendiosissima uia est
ad conseruationem gregis & Religionis,
missos facere lupos Antichristi, & iugula-
re suadentes piam constantiam, seu, (ut
ipsimet de se scribunt) confirmare impi-
os ita, ut triumphent, languefacere uero,
contristare & in dubitationem inducere
pios.

Quid multis opus est? soluant mi-
hi quaeso Adiaphoristæ hunc unicum
Syllogismū, & habebo eos pro infontib⁹.

Quicumq; est autor Lipsici Interim
ille deficiens a Christo Antichristū eiusq;
Bestiam adorauit.

Theologi Misnenses sunt eius auto-
res teste eorum *Gründtlich bericht.*

Ergo deficientes a Christo cum Ba-
bilonia meretrice scortati sunt.

Maiorem probo non calumnijs Illy-
rici, sed certissimis testibus.

Primum Testimonio delectorum ex
tota Misnia, nobilium & ciuium, qui re-
prehenderunt non pauca loca eius Inte-
rim, tanquam papatum reducentia, petie-
runtq; ea mutari.

Deinde testimonio Episcoporum, qui

A 5

aperte

aperte in Lipsicis comitijs, approbantibus
etiam suo silentio Theologis, testati sunt,
se sic illud Theologorū Interim & etiam
mentē ipsorū accipere & intelligere, quod
cum Augustano consentiat, indeq; tan-
quam ex pleniore libro, suam interpretati-
onem habere debeat.

Tertio, testimonio duorum electo-
rum & Iftslebij, qui coram pluribus prin-
cipibus pro concione tempore Lipsicæ
actionis, prælegit illud Interim duorum
Electorum subscriptione & sigillo obfig-
natum, dixitq; eam ordinationem a The-
ologis compositam & duobus Electori-
bus Iuterbachij oblatam, ut esset quædam
reformatio cum Interim Augustano
consonans, ideoq; ab eis acceptam, sigil-
lisq; & subscriptionibus confirmatam.
Certe Electores illi tam sancte non com-
probassent eam ordinationem, si fuisset
Augustanæ contraria. Vide Epistolam
concionatorum Marchit: ad Viteberg:
cum Lypfico Interim impressam.

Quarto, testimonio totius Lipsicæ
actionis. Cur enim fuit tota illa actio in-
stituta, nisi ut Cæsari petenti Interim sa-
tisfieret, ac ne Romani uenirent?

Quinto, probo omnium sanorum
consen-

consensu, qui, cum illud scriptum legunt,
iudicant id sub uariorum sophismatum
inuolucris non pauca papatus semina
occultare. Impudentissimum enim men-
dacium est, quod quicquam in eo a nobis
sit corruptum.

Sexto, probo Philippi autoritate, qui
reuerfus Lipsia, non semel, praesente me,
& alijs, grauissime tum scriptum illud, tum
& totam illam actionem accusauit, ac de
Achitophelibus questus est.

Ultimo probo testimonio Viteberg
Theologorum, qui in Epistola ad Ham-
bur: clare confitentur, Gubernatores co-
nari restituere Caeremonias & umbras
disciplinae, non res ipsas, Voluntates mul-
torum eo spectare, ut faciant inclinatio-
nem ad omnes abusus pontificios, Fieri a
potentibus instaurationem ineptorum
rituum, ut paulatim omnes superstitio-
nes instaurentur.

Tales eorum confessions extant pas-
sim & in alijs eorum scriptis, ut in scripto
de Adiaporis, quod per praesentes muta-
tiones confirmantur impij ita, ut trium-
phent, contra quod languescant, contri-
stentur, & in dubitatione inducantur pij,
Item in alio scripto / Das sie lassen viel
streitige

streitige großwichtige sachen für vber gehen. Item in alio wir streiten nicht vom wörtlein Sola. Ibidem paulo post, gleich als sey der Mensch nicht vornemlich gerecht vnd angenem für Gott/vmb des Mißlers willen. Hic pie lector Adiaphoristas ex ipsorum ore iudicare potes. Taceo iam plurima alia eorum dicta & scripta.

Quid obsecro a nobis uolunt Theologi Misnenses? Nihil noui incipimus aut suademus, nec (ut ipsi) metu crucis sumpta nota Antichristi in acie periclitantem Christi Ecclesiam deserimus.

Paulo ante cellensia comitia anno 48. instabam apud Rectorem, pium, grauem, & doctum uirum, ut institueret deliberationem conuocato lectorum collegio, an sit aliquid concedendum aduersarijs. Cum enim uiderem plærosq; tunc adhuc in ea sententia esse, quod nihil sit cedendum, sperabam posse in eam sententiam decretum a tota schola fieri, contra quod non temere auderent Theologi separatim aliquid facere, atq; ita omnia imminencia scandala præueniri. Ibi ille mihi tandem paulo ante diem comitorum respondebat, Iurasse sibi Pomernum, quod concluderint inter se Theologi, se

gi, se prorsus nihil uelle concedere.

Quid ergo a nobis requirunt? Sententias, quas uerissimas esse ex scriptura, ore, & scriptis eorum cognouimus, maximo labore & periculo retinemus & defendimus, sicut ipsi infinitis uicibus nos ad seriam constantiam retinendarum sententiarum a præceptoribus acceptarum hortati sunt. Nihil prorsus noui excogitamus. In cruce ob religionem per ipsos acceptam, auerso ab eis in nos impiorum odio, pendemus, dum illi securi non tantum pace suis rebus, sed & auctis stipendijs muneribusq; potentum suauiter fruuntur.

Quid ergo, inquam, a nobis flagitant, num ut, cum ipsi aiunt, nos quoq; assentiatur, rursus si idem negant, nos quoq; negemus? Ante Papa eis fuit Antichristus. Dixerunt pugnandum esse de Exclusiua Sola, & quod fides sit pœnitentiæ pars &c. Et nos sic credere omnino oportuit. In Lipsico autem Interim dant Papæ primatum supra Ecclesias, & lupis Episcopis earum regimen, Abijciunt solam fidem, Excludunt fidem ex descriptione pœnitentiæ, aliaq; plurima contra priores sententias persequutoribus euacuandi scandali

dali crucis gratia largiuntur, id quia nobis displicet sumus ingrati & scelerati. Ea est nimirum illa gratitudo, quam flagitant, Aiunt, aio, negant, nego, Deniq; &c. Sed non est, quod uereantur, habebunt deinceps plurimos tali gratitudine praeditos discipulos. Nam ille quaestus semper fuit, nunc in primis est, & erit in posterum, longe uberrimus.


Sæpe hoc quadriennio muliebriter quaesti sunt Adiaphoristæ se in summo periculo existere, posse hostes se abducere quandocunq; uelint, atq; ideo non esse mirum, si sint timidiores. Cõtra alios calumniati sunt. Posse eos bene clamare, quandoquidem sint in tuto. Hæc omnia rectissime in eos inuerti possunt. Nam ipsi primum habent potentem ac uictorem principem, testimonioq; eorum pi-entissimum. Habent munitissimum oppidum, habent maximam frequentiam scholasticorum, ueluti perpetuum quoddam praesidium circa se. Iam uero per sua Interim etiam aduersarios placarunt. Contra uero hæc pars ante annos quinque armis Antichristi eiusq; ministrorum uicta prostrataq; est. Quid est ergo quod uel suam sortem quaerulentur, uel alios calumnientur? Taceo

Taceo iam maximam eorum gratiam & auctoritatem, qua apud totam, Germaniam & multos ualde potentes, imo & apud exteras gentes ualent: Ut nemo eos uel in carcerem conijcere, ne dicam interficere posset, sine maxima toti⁹ Germaniæ offensione, præsertim si constanter agerent, & sine tetra infamia immanissime crudelitatis & Tyrannidis, ut ferme uere dici posset eos propemodum totius Christiani orbis præsidio munitos esse. At nos aliq; inferioris sortis concionatores nullum tale munimentum habemus quod omnes norunt.

Scribit Maior in Epistola ad regem Pax una Triumphis, &c. Honesta oratio est. Sed, si sunt tam cupidi pacis & unitatis, cur deserentes pusillum gregem Domini cum Antichristo sese conformant? Cur idolum Lipsici Interim tam operose & acriter suo *Gründtlich bericht* propugnant? Cur pios ipsorum Adiaphorismum improbantes damnant. Nam ut nos isti fraudulentæ Antichristianismi instaurationi resistamus, iustissimis nos causis moueri, tum scriptura, tum experientia, tum scriptis Lutheri & ipsorum, tum deniq; proprio eorum ore sæpe hactenus probauimus. Qui

Qui uult sibi a Satana, Antichristo &
tam multiplicibus eius ministris cauere,
caueat. Ego ueritatem omnibus, quan-
tum potui, ostendi. Mundus ergo sum
a pereuntium sanguine. Nemi-
nem enim possum ui reti-
nere, ne ad Diabo-
lum furentur-
ruat.

*Dominus Iesus seruet suae Religionis puritatem
contra Antichristum eiusq; ministros, Amen.*







73574

ULB Halle 3
002 675 242


Sl.







B.I.G.

Farbkarte #13

10. 9
RESPON-
SIO M. F. ILLYRICI AD
maledicta D. ~~Gr.~~ Maioris, Maximi,
Christi & Belial seu Antichristi
conciliatoris, & nouorum In-
terim propugnatoris.

Esaia. 5.

*Vae dicentibus malum bonum, & bonum malum,
ponentibus tenebras in lucem, & lucem in tenebras,
amarum dulce, & dulce amarum. Vae ijs, qui sapientes
sunt in oculis suis, & suo iudicio intelligentes,
qui iustificant impium propter munus,
& iustitiam iustorum auferunt ab eis.*

1. Timo. 6.

*Radix omnium malorum est auaritia, Ad
de, & ὀλιγοπισία seu diffidentia.*

